



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vniuers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

6 De secunda conditione, quam census requirit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

mentum, & panis consumuntur, ac pereunt, ergo non sunt fructuosæ, & viles, seruata earum rerum substantia. At in aliis rebus se mouentibus, vel mobilibus, quæ viles sunt, etiam quando primo vsu non pereunt, ex natura rei potest census institui, vt ait Gabriel in 4. dist. 15. q. 12. ar. 2. & Conradus in q. 72. in supposit. 4. concl. 1. & hoc est, quod docuerit Maior, Not. Med. & Courat.

Quintò queritur, An quis possit generatim in omnibus suis bonis censum creare? Constitutio Pij Quinti Pontificis Max. id omnino prohibet. Quæstio igitur est, an id Martini V. & Callixti III. Constitutiones permittant. Secundo, an saltem huiusmodi censum permittat Constitutio Nicolai V. Tertio, an iure naturali, & diuino debeat census institui in re certa?

In primis secundum Soti, Courat. & aliorum sententiam, ius naturale, siue diuinum non prohibet, nè generatim in omnibus bonis alicuius census ponatur. Primo, quia extat Constitutio Nicolai V. gratia Alphonsi Aragoniæ Regis edita, in qua permittitur, vt incolæ Siciliæ, & Neap. Regni census instituantur generaliter in suis omnibus bonis: quam Constitutionem refert ad verbum Io. Bapt. Lup. in tract. de vsu. ris, Com. 2. §. 2. m. 85. Quod si ius naturale, vel diuinum prohiberet, non permitteret Sum. Pontif. Deinde emptio quidem rei certæ, non incertæ est: nam in censuali contractu, quamuis census constituatur generaliter in omnibus bonis, non emuntur tamen bona incerta, sed emitur res certæ; V. g. ius exigendi quotannis septem, pretio venditori dato, nimirum centum.

Ceterum ego quidem dicendum existimo. Census cum in omnibus bonis alicuius ponitur, si ita ponatur, vt pereatibus ex parte bonis, ipse quoque census ex parte pereat, tunc non est contra naturam censuali contractus, vt in omnibus bonis constituatur, quia hoc requirit natura huius contractus, vt sublata ex toto, vel ex parte re supposita censui, census quoque vel in totum, vel ex parte extinguatur. Si autem sit constitutus in omnibus bonis, vt pereuntibus quibusdam, census totus adhuc maneat saluus in aliis rebus, quæ supersunt, tunc contra naturam contractus videtur esse, vt in omnibus bonis constituatur, quia pugnat cum natura huius contractus, vt bonis ex parte sortuito amissis, totus census sit saluus. Item dubitari non potest, quin venditor multum oneris sustinere cogatur: nam eo ipso, quod omnia bona sua obligat censui, nequit alterum censum in suis bonis constituere. Obiciet, mandatorum id suâ sponte facere, & cuique licet quod voluerit onus suis bonis imponere. Respondeo id venditorem facere necessitate compulsam, quia pecuniis indiget: quemadmodum etiam mutuatarius non sponte, sed necessitate pronauit se vsuras soluturum.

Dubiæ verò quæstionis est, An Constitutio Nicolai V. permittat, vt quis censum emat impositum in bonis omnibus venditoris? In ea enim Constitutione dicitur, posse quemcumque censui sua omnia bona obligare. Verum tamen mea sententia, quamuis Pontifex conceat, vt quis suâ sponte in suis omnibus bonis censum imponat: non tamen negat censum extingui in totum, vel ex parte, si bona ex toto, vel ex parte pereant.

Sextò queritur, An post Constitutionem Pij Quinti possit census imponi in duobus, vel tribus prædiis, siue possessionibus alicuius? Ratio dubitandi est, quia prima conditio in constitutione posita est hæc: Vt census constituatur in re aliqua immobili. Vbi Pontifex singulari numero vsus est. Nauarrus in Commentario de vsu. ris, num. 112. sentit, Constitutionem non prohibere, quo minus census in duobus, vel tribus prædiis creari possit. Id probat, quia lex, quæ de vno loquitur, habet vim, & locum in pluribus, quando eadem est ratio de multis, quæ de vno. Glossa in cap. si compromissarius de Election. in Sexto. Deinde, quia in Constitutionibus Martini V. & Callixti III. legimus, venditores censuum assignare prædia, vel possessiones, in quibus census constituatur.

In hac quæstione distinguendum nobis est, vt annotauit

Virginius de Censibus. Prima parte, num. 30. & parte secunda, num. 20. & 737. Census, inquit, in duobus, aut tribus prædiis potest constitui tribus modis. V. g. Titius, annuum censum triginta aureorum constituit in tribus suis prædiis. Primo modo, constituendo decem in vno prædio, totidem in secundo prædio, & totidem in tertio: ita vt scilicet sint tria prædia, ita tres sint census, quorum quilibet sit in vno prædio constitutus: etiam si quodlibet prædium in singulos annos fructum faciat valentem triginta aureos. Secundo modo constituit ita, vt quodlibet quotannis tantum fructum reddat, quantum est census annuus triginta aureorum, & quodlibet prædium sit suppositum censui, & emptio liberum sit, censum percipere ex prædio, quod ipse inter illa tria prædia delegerit. Tertio modo potest constitui census in tribus prædiis, quia nullum per se potest reddere quotannis tantum fructum, quantum est census annuus triginta aureorum.

Itaque tria prædia simul, non seorsum tantum fructum reddunt singulis annis, quantum est census. Dicit Virginius loco citato, censum non posse in tribus prædiis imponi: at si nullum prædium per se possit tantumdem reddere, quantum est census, tunc potest in tribus constitui census, quia penultime est, ac si in vno prædio constitueretur.

Mihi verò aliter videtur dicendum si quodlibet prædium per se sufficit ad solutionem census annui, nequit census in tribus prædiis imponi, eâ conditione, vt si vnum, vel duo perierint, totus census adhuc saluus in tertio consistat, hoc enim non solum est contra Constitutionem Pij V. sed etiam contra naturam contractus. Nam pereunte re subiecta censui ex parte, vel in totum, perit census vel in totum, vel ex parte. Si tamen eâ lege constituatur, vt percute vno prædio, vel duobus, ex parte quoque census intereat, non est contra naturam contractus, vt in tribus prædiis constituatur, cum venditor census suâ sponte in tribus constituat. At quia passim venditores censuum necessitate in pluribus prædiis constituunt, & ita multum oneris suscipere coguntur, eo ipso quod censui multa prædia subiciant, etiam vnum sufficit ad soluendum censum: ideo Pius V. merito prohibuit censum in multis rebus constitui. Fertur Gregorius XIII. permisisse Siculis, & Neapolitanis, vt censum constituerent in duobus tribusve rebus immobilibus, dummodo suis censibus suis desingerent, vt testatur Auctor Coronæ Consistorii par. 2. c. de Censuali contractu, num. 11.

De secunda conditione, quam census requirit.

CAPVT VI.

SECUNDA conditio census in Constitut. Pij V. quæ est ordine octaua in Constitut. Martini V. & Callixti III. est, vt res sit natura fructifera, talis verò dicitur esse, quæ apta est ferre fructus. *l. Frugem ff. de verb. significat. & fructus, vel frugis nomine intelligitur, quod non solum in fundo nascitur, vel quod ex frumentis, vel leguminibus in alimoniam vertitur, sed generaliter omnis redditus, siue proventus: vt ait Iurisconsultus in eadem l. Frugem: immo omnis vilitas, etiam amenitas, quæ solet, & potest ex re aliqua provenire. Vnde arbores dicuntur frugifera, tum propter fructus, tum propter amenitatem. *l. Si vsu fructum. §. vsu fructuarius. ff. de vsu fruct. & l. Competit. ff. Quod vi aut clam. & l. Item si fundi. ff. de vsu fructum. Stylax quoque exduæ, lapidicene, & hmlia loca ex quibus arena, creta, & alia eius generis, solent emi, vel effodi.**

Primo queritur, An census possit imponi in re fructifera quidem, sed cuius fructus annui assequantur, & ex quo census quotannis exolendum emptori? Duæ sunt sententia, vna est asserentium, imponi posse. Sotus lib. 6. de Institutionibus, quæst. 3. Couartius lib. 2. Variarum resolutionum c. 7. nu. 6. prope finem: idem ante eos tenent Conradus qu. 89. conclus. 12. 13. & 14. Ratio horum Auctorum est, quia putarunt, quando cumque census constituatur in re vna, pariter

obli-

obligati ad censum persolvendum, ipsi venditorem, & omnia eius bona, ac proinde quamvis res supposita censui ferax non sit tanti fructus, quantum est census, qui imponitur, satis tamen est, si venditor vna cum suis omnibus bonis emptori obligetur. Altera est sententia, necessarii requiri, vt res fructus facere possit, qui censum annuum adæquetur. Ita sentit Angelus in *usura* 1. num. 78. Silvester *usura* 2. quæst. 12. Medina de *Reb. per usuram acquis.* q. 12. Nauar. in *Commentario de Usuris*, num. 79. Ch. 83. Virgin. de *Censibus*, par. 3. nu. 29. Et reuera hæc sententia est communi consensu Pontificij iuris interpretum recepta, cap. in *ciuitate*, de *Usuris*. & eam ratio ipsa manifeste comprobatur. Nam censuali contractu emitur ius percipiendi annuam pensionem ex fructibus rei, quæ censui supponitur: ergo si res pauciores fructus reddit quorannis, quam sit census, eatenus census erit impositus in re infrugifera: nam quatenus fructus non reddit, qui cum censu annuo non æquantur, eatenus fructuosus non est. Item si res nullo modo fructifera sit, censui subiecti, & obligati non potest, ergo ex ea parte, qua reddidit fructus pauciores, & minores, quam sit census, capax maioris pensionis non est. Postremò, si res fructus non fert, qui exæquet censum, emptor ius non habet accipiendi annuam pensionem ex ea parte, qua res tantos fructus non facit: & Conradus, Sotus, & Couarruias falsi sunt, putantes ad censum vna in re constitutum obligari venditorem vna cum suis omnibus bonis, perinde ac si census sit institutus in persona venditoris, & in omnibus bonis ipsius. Quare Sotus immeritò reprehendit Medinam, tamquam sibi ipsi contradicentem, eò quòd prius docuerit licitum esse censum personalem, & postea sibi ipsi non constans dixerit, fructus rei censui subiectæ tantos esse debere, vt æquari possint cum annua pensionem non enim sibi ipsi Medina aduersatur: quia quamuis existimet, fas esse in persona censum imponere: nõ tamen opinatur in omni censu implicite contineri censum personalem; nec putat, quando census est vna in re constitutus, omnia bona venditoris manere obligata, tamquam supposita censui.

Quæres, An ex natura rei necessarium sit, vt fructus rei censum annuum exæquet, an verò solum ex iure scripto, videlicet Constitutionibus Martini V. ? Respondeo, id vim, & naturam censuales contractus requirere, vt probant argumenta superiora allata: alioqui enim venditor census venderet ius quod non habet, quatenus vendit rem, quæ tantos fructus ferre non potest, quantum est census, quem in ea re constituit.

Secundo quæritur, An in re multum fructifera possit institui census longè minor, quam sit fructus, quem illa res in singulos reddit annos? Ratio dubitandi est, quia censuali contractu emitur ius percipiendi annuam pensionem ex fructibus rei, ergo emi debet tanti, quanti fructus æstimatur: alioqui enim emeretur res minori pretio, quam valeat. Respondeo, dubitari non posse, quin census multo minor, quam sit fructus rei, imponi queat.

In primis id habet consuetudo recepta, quam nemo condemnat. Deinde, quia non emitur totum ius quod est in re, nec emuntur omnes fructus, quorum ferax est res, sed emitur pars illorum tantummodo. Accedit, quod Titius, v. g. centum datis Caio, emit septem annua sibi reddenda ex fundo, qui quorannis reddit fructus mille aureorum, solum emit ius percipiendi septem, non mille, ex illo fundo. Postremò in Constitutionibus Martini V. Callixti III. & Pij V. solum habemus, rem suppositam censui, vt minimum, debere tantum fructum reddere, quantum est census, non verò fructum maiorem esse non posse, quam sit census.

Tertio quæritur, An in censu constituendo, habenda sit ratio æstimationis, & pretij, quod res valet, an verò potius fructuum, quos res in singulos annos reddit? V. g. est sumptuosa domus, vel magnificum palatium, quod ex locatione annua fructum modicum ferre solet: quæ tamen domus, siue palatium æstimaretur sex aureorum millibus: E contrario est domus, ex qua in singulos annos locata

solent percipi centum: & tamen vendita, non tanti æstimaretur, quantum est pretium, quo venderetur annuus fructus, qui ex eius locatione solet provenire. Couarruias loco citato sentit, considerandam esse æstimationem rei, non fructuum, qui ex ea percipi solent. Id probat, quia perinde est, ac si tibi traderem sex millia aureorum, cum censum constituo in palatio, quod totidem aureis æstimatur. Deinde, quia moris est, vt census emanatur non numerata pecunia, sed traditâ re loco pecunie. Alij vero opinantur, censum esse constituendum habitâ ratione fructuum, qui percipi solent, & possunt ex re, non pretij, quo res ipsa æstimatur. Et hoc, inquit, locum habet in censibus, siue ex natura rei, siue ex Constitutionibus Pontificis censualem contractum consideremus. Quæ opinio magis videtur ad veritatem accedere. Nam Constitutiones Pontificie fructum rei, non pretium expriment, desinientes fructus rei minorem esse non posse, quam sit annuus census, & re in totum, vel ex parte reddita infrugifera, censum extinguere, vel minui pro rata portione: vbi semper haberi videtur ratio fructus, non pretij. Accedit, quod non emitur res censui subiecta, sed ius percipiendi redditum annuum ex fructibus rei. Postremò, in re, videlicet domo, quæ quorannis ex locatione solet reddere magnam pensionem, tantus de morte census imponitur, quantum ex locatione redditus potest provenire, quamuis si domus sola venisset, multo minoris æstimaretur: & e contrario in magnifico palatio, quæ magnæ sunt æstimationis, & pretij, maior census nequaquam imponitur, quam sit annua pensio, quæ quorannis ex locatione percipitur.

Quarto quæritur, An possit census institui in re, quæ fructum non fert, quamuis ferre queat? Sunt enim aliquæ turres, palatia, domus, quæ locari non solent, quæ si locarentur, pensionem redderent. Nauar. in *Comment. prefato de Usuris*, num. 113. affirmat posse constitui, quia est res sua natura fructifera, cum sit pretio locabilis, & quia in *L. Cõpetit. ff. Quod vi, aut clam*, habetur, cupressos, quæ nullum fructum ferunt, si amoenitatis gratia retineantur, posse dici fructiferas propter domini, vel fructuarij voluntate, quam capit. Sed quid si fuerit res talis, vt turò locari non possit, vel propter hostiù crebros incurfus, bellave, aëris, & calis intemperiem? Respondeo, tunc rem tãquam infrugiferam haberi, si eiusmodi impedimenta crebra, & perpetua sint. Obiicit, censum imponi posse in nudis proprietatibus rerum, v. g. in solo agri, vel tundi. Respondeo in Constitut. Nicolai V. permitti, vt census creetur tam in proprietatibus, tñ in redditibus, commodis, & fructibus rerum: de qua re postea. Sed iuxta Pij V. Martini V. & Callixti III. Constit. res debet esse fructifera: vnde rei proprietates sine fructibus capax census non est.

Quinto quæritur, An res supposita censui debeat esse fructifera, si vno duobusve annis fructus non ferat? Nauar. *Comment. de Usuris*, nu. 117. id negat: Virgin. verò de *Censibus*, par. 2. num. 40. ita distinguit: aut vno, vel pluribus annis desinit fructum reddere in modica, aut in magna quantitate. Si primum, adhuc fructifera censetur: si secundum, tunc desinit esse fructifera. Sed certè ob vnum, vel duos annos, in quibus res fructum non fert, non habetur res pro infrugifera, ac proinde capax est census: & quando dubitatur, debeat nec ne res esse fructifera, arbitrio boni viri, hoc est iudicis standum est.

Sexto quæritur, An quando res supposita censui vno, duobus, tribusve annis nullum fructum reddit ob bellum, pestem, aëris intemperiem, aliumve similem casum, venditor census debeat censum annuum solvere? Ratio dubitandi est, quia Pij V. Constitutio dicit, facta re infrugifera in totum, vel ex parte, censum extinguere, vel minui debere. Deinde, quando res locata nullum fructum reddit, pensio minui debet, ergo etiam census. Contad. q. 83. conel. 11. & Med. q. vlt. de *Reb. per usur. acqu.* negant censum minui posse. Et videtur ita esse dicendum, quia non emitur fructus rei, sed ius percipiendi annuam pensionem. Dices, quid si census sit fructuarius, non pecuniarius? Respondeo, etiam tunc censum deberi, quia non ementur fructus, sed ius eos percipiendi.

Deinde, quia passim minor census imponitur, quam sit fructus rei. Unde si vno anno res fructum non facit, alio anno uberiores, & pleniores fructum affert. Et in Constitutione Pij V. non dicitur censum in totum, vel ex parte extinguere, si res fructum non ferat, sed si facta est infructifera ex toto, vel ex parte.

Septimo quaeritur, An si res sit sterilis effecta multis annis, eo ipso census extinguatur? Navar. loco citato, id negat, quia res ipsa percipitur non est, ac proinde nec census evanescit; tum quia venditori census liberum est rem emptori relinquere, & se liberare omni obligatione. Virgin. de Censibus, par. 2. nu. 41. & 3. par. 21. affirmat censum extinguere, quia hinc v. ait, re infructifera reddita in totum, vel ex parte censum perire, vel mutare, ergo si ad multos annos sterilis effecta est, pennde est, ac si facta sit infructifera. Dicendum existimo, si res ita sit facta sterilis, ut amplius fructum ferre non possit, censum extinguere: alioqui boni viri, hoc est, iudicis arbitrio res tota diiudicanda est, & decidenda.

Octavo quaeritur, An sufficiat ad censum, si res sit solum per artem facta fructifera? Meo iudicio non sufficit, quia in Constitutione Pij V. dicitur: (Res sit sua natura fructifera.) Potest tamen census institui in rebus per artem factis, sed postea fructifera, ut in domibus, quae locazione fructus, siue pensiones annuas reddunt, in molendinis, quae industria hominum, & natura etiam sua fructus pariunt.

De tertia conditione, quam postulat censualis contractus.

CAPVT VII.

IN Constitutione Pij V. tertia conditio census haec ponitur, ut census erectus in re immobili, aut quae pro immobili habeatur. Et quae nominatim certis finibus designata sit, & finium appellatione intelligantur limites, quibus fundi, vel agri, vel domus terminant, & distinguuntur.

Hanc conditionem Pontificia Constitutio postulat, ut census extinguatur intelligatur perire, & restitui, si fructus amittitur, & dicitur, ut habeatur in l. Quod tamen. ff. Quib. modis res fruct. amitt. & l. si in. cod. tit. §. vlt.

Primo quaeritur, An census possit in alio censu constitui? Foller. de contract. censuaris. §. Censu, nu. 49. affirmat posse: quod etiam Navar. opinatur in Comment. de resur. nu. 87. Id probant, quia redditus annui inter bona immobilia censentur. Clem. Eximus. Cumq. annui, de reb. signif. & Glos. vide Re. Eccles. non alien. l. 6. Virgin. de Censib. par. 1. n. 49. negat posse constitui iuxta Constitutionem Pij V. quia necesse est, ut res obligata censu nominatim certis finibus designata sit, ut census nequit certis finibus designari. Deinde, quia census est fructus rei, non autem res ipsa fructifera. Postremo, quia iuxta Pij V. Constitutionem, liberum est emptori, quando eumque voluerit, censum redimere, & extinguere: item quia in Clem. Eximus, redditus annui inter bona immobilia numerantur, videlicet ij, qui perpetui sunt, non qui ad tempus, vel qui liberati alterius facultate extinguere possunt.

In hac re dicendum mihi videtur in primis, Foller. loquutum fuisse secundum Constitutionem Nicolai V. in qua permittitur, ut census constituatur in rebus immobilibus, & in redditibus annuis. Secundo non videtur census posse constitui in censu, qui perpetuus non est: neque enim habetur inter bona immobilia. Tertio, si census est perpetuus, capax est alterius census: nam in Constit. Pij V. habemus, posse constitui in re immobili, vel quae pro immobili habeatur: at census perpetuus habetur pro re immobili. Et illa verba Pontificis: (et quae nominatim certis finibus designata sit) referuntur ad illud verbum (in re immobili) & de more, census instituitur in annuis redditibus Regum, Principum, & Rerum publicarum. Praeterea, negandum non est, emptorem census posse alteri vendere censum, quem habet in re alterius: V. g. Titius emat a Caio censum annuum, & proinde

habet ius constitutum in fundo Caio, ex quo percipit quatuordecim annis septem, quia Caio dedit centum, ut pretium: potest Titius hunc censum Seio vendere, quia iura, & actiones pecunia aestimantur, ergo ius, quod habet Titius exigendi censum annuum a Caio, potest alteri vendi, hoc etiam non est censum in censu constituere, sed censum emptum vendere.

Secundo quaeritur, An possit census imponi in re obstricta, & onerata censu? Respondeo, minime, nisi censu cui, qui habet censum, nam ea res est obligata emptori, & domino census, ergo citra consensum illius alteri obligari non potest. V. g. In fundo Titij Caius censum habet, nequit Titius alium censum in suo fundo constituere Caio incho, aut inuito, eo quod Caius habet ius in fundo, cum ex illo debeat quotannis pensionem accipere.

Quares, Quid si Titius, in seio Caio, in illo eodem fundo censum constituat pretio accepto à Seio? Cogitur censum utrumque solvere, videlicet, Caio, & Seio, & Seius postquam rescierit fundum esse Caio obligatum, debetne pensiones, quas acceperat restituere, & totum rescindere contractum? Respondeo, in primis Titium debere utrumque censum solvere, quia dolus, & fraus nemini patrocinatur, & sibi imputet, quod censum secundum in fundo, Caio obligato constituit. Et Seius non cogitur pensiones annuas restituere, quas bona fide per ignorantiam accepit. At postquam rescierit fundum esse Caio obligatum, debet vel Caio consensum petere, dummodo fundus sit capax utriusque census, vel contractum rescindere, ita ut deinceps censum annuum non exigat, & pretium quod Titio dedit, repetendi ius habet, quia contractus initio non valuit, & propterea dissolvitur.

Tertio quaeritur, An Titius, qui in feudum praedium accipit, possit in eo censum constituere? Follerius de Censibus contractibus. §. Censu, nu. 13. affirmat, posse, quia feudarius rei in feudum acceptae vtile dominium habet, quamvis directum dominium remanserit apud eum, qui dedit in feudum, & ad censum sufficit, si quis iure suo habet rem vtilis, & fructiferam. At Virginus de Censibus par. 2. num. 74. negat posse Titium censum constituere, quia eo ipso Titius, qui censum vendit, subicit obligationi, & oneri rem, quam in feudum accepit. At in cap. Imperialem, libr. 2. Feudorum, tit. de prohib. a feudo alienatione constitutum est, ut nemini liceat feudum in totum, vel ex parte vendere, vel pignori dare, aut quolibet alio modo distringere, vel alienare sine domini consensu: alioquin nulla sit alienatio, & is, qui alienavit, feudum amittit.

In hac re, secundum quorundam sententiam, Follerius philosophatus esse videtur iuxta Constitutionem Nicolai V. quae permittit, ut in proprietatibus, emolumentis, & commodis rerum possit census institui: at Virginus loquutus est iuxta id, quod habetur in Constitutionibus Martini V. Callixti III. & Pij V. ex quibus habetur rem censu subiecta, esse venditoris. Sed, meo iudicio, pugnat cum natura contractus censualis, ut feudatarius in re feudi censum imponat absque consensu domini, quia non habet plenam dominium rei in feudum acceptae: nec sufficit vtile dominium, quia potest in potestatem, quam commissi vocant incidere: & tunc res fundi eo ipso ad dominum reuertitur, qui nullo iure compellitur censum annuum persolvere, quoniam res, ut pote, ita, ad eum liberè redit. Unde fit, ut emptor census damno afficiatur, & census debet restituere ex natura rei in bonis liberis, non obligatis aliquo onere, siue res corporales sine illa bona, siue incorporales, cuiusmodi sunt iura, actiones, & redditus. Quare totus contractus rescindi debet, quia ab initio non subsistit. Pensiones vero annuas, quas bona fide emptor census accepit, restituere minime cogitur.

Quarto quaeritur, An Titius possit censum imponere in praedio, quod ipse in emphyteusim habet? Follerius loco citato, numer. 21. affirmat, posse, quia emphyteota habet vtile dominium, & ius percipiendi fructum quotannis. Virginus de Censibus par. 2. nu. 76. negat, quoniam res in emphyteusim data, alienari, vel alteri obligari, sine consensu domini non potest. l. 2. C. de iure emphyteot. atq. haec